Lectoribus Mathematicis.

Supervacaneum esset (præclara Literarum lumina) de mirandis Optices Encomiis apud vos panegyricum instituere; visum enim sensuum pulcherrimum adjuvat; myopibus & presbytis (absq; Optices ope quodammodo cæcis) clarissimum præbet visum; oculos humanos ab hisce terrestribus, ad cœlestia majoribus nostris incognita, & incredibilia elevat; & ad perfectam minutissimorum corporum visionem rursus detrudit: Unde ansam præbet, omnes scientias naturales, & amplificandi, & promovendi. Nihilominus inter universas scientias Mathematicas, nulla ab antiquis adeo neglecta, & a paucioribus exculta: Omissis enim Euclide, Alhazeno, & Vitellione, *autoribus etiam perobscuris & prolixis; e veteribus nullus aliquid momenti (quantum scio) nobis reliquit: E neotericis autem, post* Galilæum *sidereum illum Mercurium, & omni ævo laudibus celebrandum, multi, & scriptis, & sumptibus immensis, in hac messe laudabiliter sudarunt: inter quos ego, juvenili quodam ardore instigatus, & ex inventione inæqualitatis ellipticæ audaciam nactus, hisce speculationibus Opticis, & præcipuè geometricæ Telescopiorum demonstrationi, pro facultate ingenii me accinxi; & ex analogiis in prima hujus tractatuli propositione declaratis, inveni primam hujus Opticæ partem, de genuinâ refractionum hypothesi & mensurâ; nescius scilicet (propter inopiam novorum librorum Mathematicorum, in aliàs inclytâ Bibliothecâ Abredonensi) hæc eadem*